

Malicia A

Melius iudicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.

Augustinus in encheridion.

Malicia B

Malignitas est mala voluntas hominis cum ultra non possit, vel beneficiis grates non referre.

Augustinus.

Malicia C

Malicia est per quam moribus deceptorii veritate palliata vel odium alterius vel proprium commodum attenditur.

Augustinus in quadam epistola.

Malicia D

Malicia est mentis atque animi depravatio a tramite veritatis devia, que incuriosorum animus frequenter obrepat.

Ambrosius in hexameron.

Malicia E

Mala non sunt nisi que crimine mentem implicant et conscienciam ligant.

Ambrosius ibidem.

Malicia F

Sicut ignis amoris mentem erigit, ita ignis malicie involvit, quia et Spiritus Sanctus cor quod replet elevat et ardor malicie ad inferiora semper incurvat.

Gregorius super Ioelem.

Malicia G

Mens prava semper in laboribus est, quia aut mollitur mala que inferat, vel metuit ne sibi ab aliis inferantur, et quicquid contra proximos excogitat, hoc contra se cogitari a proximis formidat.

Gregorius 12. moralium.

Malicia H

Velocius malicie parva sintilla consumitur quam virtutis ignibus concalescere possimus, nam et melli plurimo parum absintii iniectum velocem amaritudinem tradit, mellis etiam si duplum iniiciatur absincio non poterit eius obtineri dulcedo.

Gregorius Nazanzenus in apolegetico.

Malicia I

Habet malicia cursum suum rotis quattuor consistentem: sevicia, impaciencia, audacia, impudencia. Valde enim velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocencia sistitur, nec paciencia retardatur, nec timore frenatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem duobus pernibus equis et ad omnem perniciem paratissimis. Terream potencia et seculi pompa, porro president his duobus equus aurige duo: timor et livor. Timor quidem pompam, livor potenciam agit.

Bernardus super Cantica.

Malicia K

Considerans huius stulticie mixtum dolum tyranni, aut enim heredes credit scripturis aut non. Si non credit, ut quid ergo interrogabat scripturas quas putabat esse vaniloquas? Si credit estimans prophetiam esse immobilem, quomodo ergo sperabat illum regem posse interficere, quem futurum esse dicebant scripture. Nam si prophetie credit, clarum erat ipsum adversus impossibilia conari. Sed non credit tunc nec sibi timere debuit, nec puero insidiari. Respondet Chrysostomus: Anima semel malignitate capta stultior cunctis efficitur. Tale quippe est vicium malignitatis, ut a nullo plerumque impulsa, sese ipsa precipitet, et sepe absque effectu operis erumosa impossibilia conatur efficere.

Chrysostomus super Mattheum capitulo 2.

Malicia L

Coherceri omnino nequit animus prava semel voluntate viciatus, quia zelus sapere nescit et ira consilium non habet, ideo Herodes non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur.

Chrysostomus ibidem.

Malicia M

Sic ignis quanto amplius ligna susceperit in maiorem flamma erigitur, sic anima mala quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malicia excitatur.

Chrysostomus super Mattheum 22.

Malicia N

Eate minores, malicia pares. Nam pulli serpentium statura breviores sunt, veneno autem equales, catuli luporum et si venacione nocere non possunt, iam tamen in sanguine gaudent et morsibus ledunt.

Chrysostomus ibidem.

Malicia O

Debuerunt Pharisei timere Saduceorum exemplo, ut ne similiter interrogantes confundantur, sed ardens malicia dum se sociare festinat, rei exitum non aspicit, malivolencia enim et livor nutriunt impudenciam.

Chrysostomus ibidem.

Malicia P

Pharisei apud se dicebant. Unus loquatur pro omnibus et omnes loquamur per unum ut si vicerit omnes videamur victores. Si autem victus fuerit solus videatur confusus. Ecce sagaciatas malignancium.

Chrysostomus ibidem.

Malicia Q

Loquitur apud se maligna cogitacio, usquequo illum talem tolero. Consentire ei comprobatur, si eum non corripio, consensiens autem Deum offendo, corripiam ergo ne Deum offendam. Nichil pro mea sed pro Dei iniuria vel ulciscenda totum facio, immo sic illum sibi restituam, proximum enim corripere et eum castigare, hoc non est proximum nocere, sed prodesse velle. Sic sepe apud se loquitur cogitacio maligna, excecavit enim eam malicia sua.

Hugo libro 1. de anima.

Malicia R

Nequiciam veteres diffinierunt voluntariam esse maliciam, in quam non casu incidimus, sed spontanea voluntate versamur, nequaquam dictus est, nequaquam id est nullo tempore aptus.

Cassiodorus super Psalmos.

Malicia S

Malignitatem vite nostre similitudo declarat. Aranea est anima indebile ac tenuissimum quod transeuntibus muscis quedam recia dolosa contextit sic anni illorum qui sceleratis operibus dediti sunt inanibus et subdolis machinationibus occupantur.

Cassiodorus super illud: Anni eorum sicut Aranea.

Malicia T

Malicia est ex proposito et deliberacione malo cognito prono animo consentire.

Richardus de verbis apostoli tractans illud: Non fermento malicie et nequicie et cetera.

Malicia U

Inventor malorum est qui aliquam malam consuetudinem vel aliquod tormentum primus invenerit.

Tullius.

Malicia X

Malicia ipsa maximam partem veneni sui bibit, ac venenum quod serpentes in alienam perniciem perferunt, sine sua continent, non est huic simile, hoc habentibus pessimum est.

Seneca 82. epistola.

Malicia Y

Malefacere qui vult nusquam, non invenit causam, malivulus semper sua natura utitur.

Seneca in proverbiiis.